



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De obedientia humilis subditi, ad exemplum Iesu Christi. XIII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## CAPVT XIII.

*De obedientia humilis subditi, ad exemplum Iesu Christi.*

1. **F**lli, qui se subtrahere nititur ab obediētia, ipse se subtrahit à gratia. Et qui quærit habere priuata, amittit cōmunia. Qui non libenter & sponte suo superiori se subdit, signum est, quod caro sua necdum perfectè sibi obedit, sed sæpe recalcitrat & remurmurat. Disce ergo celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subiugare. Citiùs namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit deuastatus. Non est molestior & peior anima hostis, quàm tu ipse tibi, non bene concordans spiritui. Oportet omnino verum te assumere tui ipsius contemptum, si vis præualere aduersus carnem & sanguinem.

2. **Q**uia adhuc nimis inordinatè te diligis, ideo plenè te resignare aliorum voluntati trepidas. Sed quid magnum, si tu, qui puluis es & nihil, propter Deum te homini subdis, quando ego omnipotens & altissimus, qui cuncta creauit ex nihilo, me homini propter te humiliter subieci? Factus sum omnium humillimus & infimus, vt tuam superbiam mea humilitate vinceres. Disce obtemperare puluis. Disce te humiliare terra & limus, & sub omnium pedibus incuruare. Disce voluntates tuas frangere, & ad omnem subiectionem te dare.

3. **E**xardesce contra te, nec patiaris tumorem in te viuere; sed ita subiectum & paruulum te exhibe, vt omnes super te ambulare possint, & sicut lutum platearum conculcare. Quid habes homo inanis conqueri? Quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & infernum multoties meruisti? Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo; vt cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficiis meis existeres; & vt ad veram subiectionem & humilitatem te iugiter dares, patienterque proprium contemptum ferres.

## CAPVT XIV.

*De occultis Dei iudicijs considerandis, ne extollamur in bonis.*

1. **I**ntonas super me iudicia tua Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & exspauescit anima mea valde. Stotatonitus & considero, quia cæli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in angelis reperisti prauitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt stellæ de cælo, & ego puluis quid præsumo? Quorū opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima; & qui comedebant panem Angelorum, vidi siliquis delectari porcorū.

Nulla